



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nucleus Practici Tractatus, De Legibus

Marchius, Ewald

Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661

Cap. XXXVIII. Qui & quales possint Privilegia concedere, qui ejus sint capaces, & quid si proprio motu datum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42256

propter commune, aliud favorabile, & pro-
foro externo, aliud pro interno, de quibus
late tractat Suarez li. 8. de LEGIB VS.
cap. 6.

C A P U T XXXVIII.

*Qui & quales possint Privilegia concedere? Quis
eius sint capaces, & quid, si proprio
motu datum.*

OMnis, qui Legem condere potest, etiam
Privilegia concedere potest. Ita S. An-
toninus, Silvester, Hostiensis, & alii. è con-
tra, qui Legem condere non potest, nec Pri-
vilegia dare potest.

Hinc, Papa maxime potest concedere Privi-
legia, in causa Spirituali, propter supremum
eius Imperium. Ita Innocentius. In materia
temporali, non ita potest. Papa, dire-
ctè Privilegia concedere, nisi in propriis ter-
ris Ecclesiæ, ubi est Dominus temporalis.
Suarez loco cit. num. 7.

Secundo. Possunt Episcopi, & omnes Su-
piores Prælati Ecclesiæ respective, sive
cum proportione, Privilegia concedere,
quatenus possunt constitutiones facere, non
tamen, quo ad, vel contra Jus commune, vel
Pontificium, vel latum à Superiore. Ita
Hostiensis, Angelus, Tabiena, & Alii.

Tertio. Possunt Privilegia concedere,

N. 2.

Impe-

Imperatores, Reges, alique Principes, Temporales, supremi, in sua Ditione, & Materia, non vero in Spiritualibus. Silvester, Panormitanus, & alii.

Ille autem solus, Privilegii capax est qui Alteri subditus est, & aliquo modo inferior. Suarez. lib. cit. cap. 9. num. 3. & 6.

Subiectum vero actuale Privilegii, seu Persona, vel Res, cui actu conceditur Privilegium, illa tantum est, quæ in ipso Privilegio exprimitur. Suarez loco cit. cap. 10. num. 4.

Substantiã formæ concessionis, consistit in verbis, quæ satis significant, concessionem alicuius gratiæ, aut specialis Juris, Alicui factam pro se, vel pro rebus suis, in perpetuum, vel ad certum tempus, vel indefinite. Ita Suarez cap. 11. Hic num. 3.

Cum sint duo modi, concedendi Privilegia, uno ad petitionem & instantiam Alicuius, Alio, ex mero Principis arbitrio, seu voluntate ac libertate. & Motu proprio. Hinc, si hæc verba Motu proprio non addantur, intelligitur, Privilegium concessum, ad Alicuius instantiam, quod multum differt à Privilegio Motu proprio, concessio. nam hoc, etiam per subreptionem impetratum valet, ut multi docent, illud non. Ita Panormitanus cap. ad aures de Rescr. Felinus Rebuffus, & alii.

Nam

Nam hæc clausula tollit subreptionem.

Contrarium tamen docent Alii, si, per falsa narrata, tale etiam Privilegium, obtentum Motu proprio fuerit, quod est probabile. quia in tali casu, censetur defuisse consensus Superioris. Aliud esset si nihil veritati contrarium, fuisset narratum, sed Superior id proprio motu dedisset. Ita distinguit Suarez loco cit. cap. 12.

C A P U T XXXIX.

An Aliquis possit ubique. & quidem extra Territorium Privilegio suo uti?

Privilegium à Papa concessum, simpliciter, & sine determinatione ad certum locum, ubique valet, nisi aliud constet de mente concedentis. quia in LEGIBVS indefinita locutio, æquivalet Universalis, juxta Axioma Juristarum. Si vero Privilegium, ex parte materiæ & objecti, ponit determinatum locum, pro illo solo potest valere; tenor enim Privilegii servandus est, nec habet efficaciam, nisi ex mente Concedentis.

Inferiores vero Prælati, Episcopi, aut Principes, in his nil possunt, extra Territorium, vel diocesin, si in his aliquid sit prohibitum, per simile particulare statutum illius loci. Ita Suarez. lib. 8. hic cap. 28. n. 7.

M 4

Potest